



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Sanctissimo Christi Iesv Dei Et Hominis Amore**

**Le Gaudier, Antoine**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Christus Deus & homo diligendus est, tum ob exemplum patris, tum propter beneficia ab ipso nobis collata. cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)



CHRISTVS DEVS ET HOMO  
diligendus est tum ob exemplum Pa-  
tris, tum propter beneficia ab  
ipso nobis colla-

ta.

CAPVT V.

**P**RÆTER hoc mandatum  
quod accepimus à Patre,  
vt diligamus filium, innume-  
ra nos beneficia quæ ab eo ac-  
cepimus ad id obstringunt:  
Atque imprimis æternus eius  
erga nos amor potenter id vr-  
get. Ita enim amauit nos vt  
ab æterno decerneret sese in  
natura humana exinanire,  
pro nobis tum formam serui  
accipiendo, tum in ea patien-  
do liberè extrema ad crucem  
vsque suamque sub ea maie-  
statem occultando, ac veluti

*Phil. 5*

perden-



perdendo. Hanc tantam filij  
 sui bonitatem Pater æternus  
 singulari modo dilexit, & si-  
 mul quo modo nos diligere  
 deberemus, declaravit. Sic  
 enim iste ait, propterea diligit  
 me Pater, quia ego animam  
 meam pono vt iterum su-  
 mam eam, nemo eam tollit à  
 me, sed ego pono eam à me i-  
 pso, & potestatem habeo ite-  
 rum sumendi eam. Diligit  
 quidem Deus infinitè suam  
 bonitatem siue seipsum, sed  
 quo eiusdem bonitatis effe-  
 ctus ad extra sunt maiores,  
 eo, modo quodam, dili-  
 git eam magis: nec æternus  
 in filiam amor tantus saltem  
 extensivè fuisset, nisi vnitus

Ioan. 10.



naturæ nostræ in ea passus & mortuus ex voluntate patris fuisset. Ergo si Filium suum, vt Deum pariter & hominem, ob tantæ bonitatis liberè in nos effusæ magnitudinem nouo quodam modo diligit Pater, cur nõ homo, eundem Filium Dei & hominem singulari nouoque & ardentiori amore prosequeris? si hæc bonitas tali modo effusa in te ipsius Patris, cui nihil addit, amore nouum prouocat, quo par est affectu te eam prosequi, quæ adeo tibi bona est; imo & bonorum omnium tuorum fons, sic enim factus est redemptor & mediator, & Pater, & rex, & sponsus,

hinc



hinc vitam quę in ipso erat ab  
 æterno apud Patrem, vitam  
 inquam gratiæ & gloriæ bona  
 denique omnia haufisti.

CHRISTVS DEVS ET HOMO  
 amandus est, quia id facilius, iucun-  
 dius vtiliusque nobis  
 est.

C A P V T VI

**D**ENIQUE hic nobis a-  
 mor eo commendatior  
 esse debet, quo proniori & fa-  
 ciliori cursu in obiectum a-  
 deò nobis coniunctum, & fa-  
 miliare fertur, eo efficacior  
 quo plenius & potentiùs vi-  
 res omnes nostras & superio-  
 res & sensitiuas, ob obiecti  
 cognationem & excellentiam  
 tantam occupare potest, eò v-